



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Hominis nobilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

IV. (d) Non frustra fingitur Prometheus ignem, tanquam animam, insensibili simulacro indidisse. Nam ut ignis est elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum; sic Spiritus seu animus hominis, est ab omni concreatione & compositione terrena remotus, purus, simplex, vividus, mobilis, & instar flammæ sursum enitens ad Conditorem suum, unde profectus est. Hinc de animis Maro Æneid. 6.

igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Errat, inquit Origenes c. 19. de Opificio Dei, quisquis hominem carne metitur. Nam Corpusculum hoc, quo induti fumus, hominis receptaculum est. Mens ipsa neque tangi, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui (homo) si delicatus magis & tener in hac vita fuerit, quàm ratio ejus exposcit: si virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram. Sin' autem ut debet, statum suum, quem rectum sortitus est, promptè constanterque defenderit; si terræ, quam calcare ac vincere debet, non servierit, vitam merebitur sempiternam.

In hunc sensum Horatius Sat. 2.

quin corpus onustum

Hesternis vitijs, animum quoque prægravat unâ,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Juxta veterem trochaicum:

O quàm homo contempta res est, se nisi supra homines erigat!

Egregiè Lactantius lib. 7. cap. 8. Solus ex omnibus cœleste ac divinum animal homo, cujus corpus ex humo excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ, ad altum nititur, quia sentit, summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat. Vidit hoc ipsum Tullius 2. de Nat. Deor. Quæ (Providentia) primùm eos humo excitatos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.

V. Sed quid hoc sibi vult, quòd Jupiter virum de humano genere optimè meritum, vinculis constrinxerit, rupi alligavit, voraci volucri prædam objecerit? Nihil hîc attingam de physica hujus rei ratione (nam aliud institutum prosequimur) quòd Prometheus primus Astrologiam Assyrijs indicavit: siderum ortus & occasus in monte altissimo Caucasu diligenter observavit: quòd ad hanc rem ingenio duce, hoc est,
Mercurio

(d) *Humanis nobilitas.*